

**Dissertatio inauguralis medica de lactis discussione ... / submittit
Theodorus Augustinus Laurentius.**

Contributors

Laurentius, Theodor Augustin.
Kniphof, Johann Hieronymus, 1704-1763.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfordiae : Typis Jo. Christoph. Heringii, [1749]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cbevrxgc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

25

DE
L A C T I S
DISCUSSIONE,

QVAM

AVSPICE SVMMO NVMINE,

ET

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE,

S V B P R A E S I D I O

DN. D. JO. HIER. KNIPHOFII,

ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL. FAC. MED. ASSESS. ORD.
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGAE,

PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA
LEGITIME CONSEQVENDI,

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

THEODORVS AVGVSTINVS
LAURENTIVS,

BVTTSTADENSIS.

H. L. Q. C. A. S. R. M DCC XLIX. D. XXII. AVGVSTI.

ERFORDIAE

Typis JO. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

Dissertatio inuenit

de

І Т О А Л ДІССЕРТАЦІЯ

мак

диссертациї

конференції професорської

діяльності

ІОНЧІЙ ЯН ОІДІ

заснованої на вивченні

А І Т Й Е І С Є Я П

заснованої на вивченні

діяльності

діяльності

діяльності

діяльності

діяльності

діяльності

діяльності



I. N. 3.

§. I.



umorem albidum dulcem, a massa sanguinea in mammis mulierum post exclusionem infantis ex utero, secretum, ut in prolis fugentis nutritionem cedat, *lac* vocamus.

§. II.

Aliis quidem rebus albentibus, propter coloris convenientiam, idem nomen imponitur. Ita neminem, nisi pharmaceuticæ artis plane ignarum latebit, ex seminibus cum aqua, præmissa trituratione, expressis, consurgere emulsiones. Notissimum exemplum expeditat *lac amygdalinum*. Cremor seu butyrum sulfuris pariter *lac sulfuris* vocatur. Et cosmeticum illud medicamentum, quod ex lithargyrio cum aceto aliisque præparatur, *lactis virginis* nomine superbit, tam ob similitudinem coloris, quam quod virgines faciem lenociniis & coloribus polluentes sibi eo pallorem inducant. Sed de his impropria appellatione gaudentibus nobis jam nullus est sermo.

§. III.

Multo potius humorem in mammis elaboratum consideratione dignum in præsenti judicamus. Penthesis enim circumstantiis, in quibus subjectis reperiatur, quomodo ejus secretio in statu naturali sit comparata, & quæ ad hanc clarius intelligendam faciant, facilius erit explicatu, ubi discussio lactis necessaria, & qua ratione cito atque tuto obtineri possit.

§. IV.

Omnes omnino infantes utriusque sexus, primis post nativitatem diebus, ex mammarum papillis liquorem chyloso lymphaticum exprimere annituntur. Has observationes inter rarius occurrentes censuerunt, quas tamen hodie subinde accidisse nunciant curiosi ejusmodi rerum observatores, qualem LANZONVS de lacte in infante recens nato communicat in *Ephem. Acad. Nat. Cur. D. II. A. X.* p. 231. Et SCHMIDIUS de lacte recens natæ puellæ ibid. *D. I. A. VIII.* p. 143. sed dum in glandulis mammariis, fœtus in utero contenti per sanguinem maternum nutriti ingens lymphæ copia, sanguini in placenta uteri admixta colligitur atque secernitur, per papillæ ostiola in cavitatem tunicæ amnii exstilla, non mirum est, in aliquibus subjectis mammas tumere, inflammari & in apostema transire. In hac re consentiunt BOHNIVS, ORTLOBIVS, TEICHMEYERVS, MORGAGNI & GUTERMANN. magis curiosa vero est observatio CRÜGERI *Det. II. A. IX.* p. 241. vidit nempe virginem 18. septimanarum, cujus maminæ pomum Borsdorffianum magnitudine adæquabant, & quotidie lac ad uncias tres vel quatuor fundebant.

§. V.

§. V.

Ad morbos a scriptoribus omissos, & a practicis neglectos, Cel. KRAMERVS in *Commerc. Litterar. Norinbergens.* Anno 1735. Hebd. XXX. p. 236. jure meritoque refert omnibus maribus pubescentibus semel obvium ab anno XII. ad XIV. incusantibus incubos mammae ipsorum noctu sugentes; dolore enim magis lacinante nocturno tempore, diurno autem pruriens fere intolerabili vexantur, pro varia enim variorum differentia, alter altero vehementius afficitur. Vidi ductus lactiferos exulceratos, areolam vesiculis obsitam & excoriatam in quindecim annorum nato jam prius pubescente; magnopere ea propter gaudebam, morbum aliquoties observatum, in nullo vero haetenus pratico lectum in doctrina gravissimo, rerumque plenissimo *Commercio* confirmari.

§. VI.

Puellæ de sororatione mammarum ab XI. ad XIV. annum conquerentes, jam memorato quoque laborant morbo, sicuti pariter aliquoties observavi, & proinde non adeo miror, tam multa apud praticos occurrere exempla, in virginibus lac reperiri, quod JOVBERTVS, l. 5. *de error popul.* c. 3. A. LAVRENTIUS l. 8. *Anat.* q. 1. *Ephem.* A. N. C. D. II. A. IX. obs. 139. p. 241. Franc. RANCHIN. de Morb. Mul. sua auctoritate confirmant, quorum ingentem numerum allegat G. FRANCVS in *satyra medica de triplici lacte virginis* §. 17. p. 7. & quando tunc mammæ suctione infantis sollicitantur, exquisite coctum & sufficienti copia ad infante alendum prolici potest, conf. BEHR. *Physiol Med.*

p. 554. ita STEGMANNVS novit nutricem, quæ tres infantes illustres lacte suo virgineo aluit, quam mater illustris veram virginem juravit *Ephem. A. N. C. D. III. A. IV. p. 226.*

§. VII.

Suctionis ope in edentulis quoque vetulis lac fuisse interdum elicitorum observationes hinc inde prostantes loquuntur: de lacte in mammis sexagenariæ referunt *Ephem. D. I. A. III. obs. 10. p. 14.* de aliis viduis ejulatu infantorum commotis, aridas mammas præbentibus, successive tamen sufficientem ex iisdem nutritionem suppeditantibus, facile esset, historias proferre, si nostrum propositum hoc postularet, curiosum tamen lectorum ad eruditissimum G. FRANCVM l. c. alegatum volo.

§. VIII.

De ipsis viris mammosis pressu lac emittentibus *Cel. RYCCERVVM* aliosque testes autoptas in medium proferre, non difficile est, quanquam de marium lactantium, quæ vulgo circumferuntur narrationes, *LENTILIVS* in *Fatromnematis Theor. Pract.* suam exposuit mentem *Part. II. Capite 23.* quod haud abs re inscribitur *de absurdis Medicis:* nihilominus lactatorum a viris infantum b. D. D. *Jo. Maur. HOFMANNVS* plura exempla allegat in *Disquis. C. H. anat. pathologica spec. XI. §. 15. p. 152.* Immo de tota talium virorum gente lege *Renuardum CYSATVM de Insul. Japon. Ec. Germanice ap. J. SCHENK. obs. l. 2. de mammill. obs. XI.*

§. IX.

Omnia autem hactenus dicta ad medicos, qui extra

tra ordinem incidunt, casus pertinent: regulariter non nisi maritatæ, tempore ingravidationis ad finem perduo, fœtumque enixa, lac in mammis elaborant. Duas natura mulieribus dedit mammas pectori impositas, ut si forsitan una quadam labe laboret, altera tamen ad infantem nutriendum supersit atque sufficiat.

§. X.

Hæc, si duo hæmispheria mediocri magnitudine modice distantia, cute candida, tactu æquali molitie elæstica prædita repræsentant, & in medio parvam rubellam papillam prominentem, rubro brunna areola cinctam ostendunt, concludimus, in statu naturali eas esse constitutas, ad actionem & secretionem destinatam existere aptas, nec facile morbis affligi.

§. XI.

Internam substantiam deprehendimus sub cute collocatam peculiaris fabricæ albicantis glandulosæ, quam copiosa quaqua versum ambit pinguedo, quæ hinc inde, maxime vero circa peripheriam glandulosæ substantiæ interposita unum cum eadem contextum facit.

§. XII.

Huic substantiæ glandulosæ interjectos invenimus ductus sive tubulos lacliferos tenuissimo principio ex ipsa glandulosa textura ortos, arcuatim per anastomoses unitos, in sinus dilatatos, tandemque septem ad decem foraminulis in papilla terminatos.

§. XIII.

Dum omnis humor in corpore humano secretus a massa sanguinea procedat, ratio & ordo dicendorum exigunt,

exigunt, ut strictius exponamus, per quas vias sanguis pro secretione lactis destinatus, ad mammas vehatur, & per quos canales a secretione residuus reducatur.

§. XIV.

Ex subclavia *mammaria interna* oritur sub sterno, decurrens ad infimum usque ventrem, ramis suis non solum costarum interstitia penetrantibus, variis partibus thoracis exterioribus, maxime autem mammis prospicit; sed etiam ad latera cartilaginis ensiformis egressa, rectum abdominis musculum subit, in eodemque anastomosibus a WINSLOVIO, NVCKIO, HEISTERO aliisque satis demonstratis, cum epigastrica arteria unitur.

§. XV.

Thoracica superior, quæ alias *mammaria externa* vocatur, ex axillari orta, serpantino decursu ad mammas progrediens per superiorem præcipue partem distributa reperitur. Notatu digna observatio doloris tensivi, tertio ut plurimum post partum die ab axillis orti, in mammarum superiori parte, horripilationibus interpositis, desinentis, de hujus arteriæ actione admonet.

§. XVI.

Quod vero nonsolum per arteriam mammariam internam & externam, sed etiam per *epigastricam* materia secretioni lactis idonea in mammas transferatur, varia me ad affirmandum inducunt argumenta: 1) primis post partum diebus, quantum vasa uteri contrahuntur, tantum mammæ lacte satis turgidæ magis inflaciuntur, conjunctis simul motibus febrilibus. 2) Si cuti infans mammas fugit, ita lochia fluunt; quo incitatius

tatius suetu lac detrahit eo uberior sanguis lochialis ad instar rivuli profluit, non sine dolore tensivo in utero incipiente & in mammis desinente 3) in cadavere mulieris post partum defunctæ arteria mamma interna & externa æque ac epigastrica dilatatae, anastomosesque satis conspicuae reperiuntur.

§. XVII.

Arteriae jam memoratae venas in universo decursu agnoscunt socias, quæ sanguinem a secretione lactis residuum ad massam sanguineam & cor reducunt.

§. XVIII.

De his ad lactis elaborationem absolute necessariis vasibus sanguiferis nemo dubitat: non omnibus vero arridet NVCKII assertum, *nervos* ad materiam lacti suppeditandam copiamque ejusdem augendam multum conferre. Etiamsi vero liquidum nerveum lacti materialiter non admisceatur, secretionis tamen successum meliorem æque ac vitiatum pro circumstantiarum conditione expectari posse, nullus dubitat, cui mores nutricis cum lacte in infantem transferri, animique patheatum effectus in quantitatem & qualitatem lactis perspectum.

§. XIX.

Ante omnia autem lactis excretio nervis adjuvatur, quod communissima & fere in omnibus lactantibus frequentissime occurrente observatione evincitur. Flaccida nempe atque mollis papilla mediantibus labiis & lingua fugentis pulsionis contrectata erigitur, quod nervi ad papillam substantia cavernosa praeditam directi, exactam sensibilitatem conciliando, ductus recta linea extendunt, comprimunt, infantique faciliorem

B

papil-

papillæ apprehensionem, levioremque, & si verum dicere volumus, proportionatum infantis suctioni afflum semper suggerunt.

§. XX.

Terminos hujus tractationis transirem, multis argumentis demonstraturus, utrum chylus non immutatus in mammae deferatur, an vero in sanguinem transmutatus in mammis iterum lactis essentiam assumat. Sufficiat repetere ex physiologicis, chylum ex intestinis tenuibus intrare orificia vasorum chyliferorum intra duplicaturam mesenterii sitorum, per ductum thoracicum & venam subclaviam in dextrum cordis ventriculum infundi, hinc cum sanguine propelli ad pulmones, quorum tenuissima vasa transiens amicam cum sanguine combinationem init; posteaque ad sinistrum, vel si mavis, posteriorem cordis ventriculum delatum, per aortam ad arterias mammarias, internam & externam & epigastricam trajici, quæ sufficientem semper copiam mammis porrigunt, ut harum fabricæ admirandæ & prorsus singularis functione primo speciem humoris albi habeat, gelatinosis vero sanguinis partibus admixtis lac & sanitati & nutritio magis proficuum reddatur.

§. XXI.

Multum ad lactis elaborationem confert aeris temperatus ad corpus accessus; quapropter mammæ optime testæ in calore naturali servandæ sunt. Fruitus cereales, oryza, avena excorticata & similia, bona qualitate lac satis copiose exhibent, cui etiam succurrit sufficiens potus, aquosus magis quam spirituofus; corporis

poris motus ab incunabulis sicut sanguinis exactiorem elaborationem promovet, ita quoque lac præstantius reddit; somnus non excedat, sed ita comparatus, ut septem vel octo horarum spatio vires iterum plenarie recuperentur. Omnes quidem excretiones regulariter procedant, una enim modum excedente, altera statim defectu laborat. Videbis itaque diarrhoea affectionem, aut sudore perfusam lactis paucitate laborare. Quæ tandem & quanta sit affectionem animi in lac potentia, ex eo patescit, quod matres terrore percussæ aut ira exacerbatae mammae infantibus præbentes, cum lacte epilepsiam, ipsamque mortem conciliant.

§. XXII.

Etiamsi lac, intuitu massæ sanguineæ, humor magis simplex existit, ex pluribus tamen partibus esse compositum, discimus, partim ex consideratione modi, quo conficitur, quem ex aquosis & pinguibus inter se unitis, elaboratio emulsionum pharmaceuticarum ex seminibus oleosis cum aqua paratis, æquale coloris albi productum, ostendit; partim resolutio lactis in butterum, serum atque caseum.

§. XXIII.

Hic generaliter scitu necessariis præmissis, ulterius considerandum venit, in quo casu requiratur, ut humor in mammis præternaturaliter constitutus evacuetur. Maximam primo loco curam exposunt *recens nati*, utpote qui solo ejulatu dolorem perceptum indicare possunt, ideo primis post exclusionem diebus (§. 4.) papillæ eorundem expressione mediante a lympha contenta liberandæ, sacculoque herba majoranæ,

origani, serpilli, rorismarini repleto in vino cocto im-
posito roborandæ sunt. Obstetricibus sollicitam cu-
ram in repurgatione corporis recens nati habentibus
hoc morbosum accidens fere nunquam occurrit; dum
enim omnes mucosas sordes in superficie cutis hæren-
tes leni frictione absumunt, non solum id, quod per pa-
pillulas exitum quærit, blandissimo motu exprimitur,
sed simul profundius in vasis secretoriis hærens hu-
mor discutitur, aliorumque derivatur. Eo frequen-
tius autem observavi tumidas imo exulcerationem mi-
nantes mammillas, in ab aliquot diebus a negligentia
deditis manibus obstetricantibus, & sorditudinem a-
mante matre exclusis, ubi sola expressione sanitas obti-
neri non poterat, sed impositis discutientibus v. g. em-
plastro diaphoretico Myns. Norimbergensi, aliisque,
oleo lacertarum malaxatis, corio fenestrato inductis ab-
scessum avertere, necessitas postulabat.

§. XXIV.

Tempore *pubertatis*, in omnibus utriusque sexus
hominibus, magna in corpore humano sese exerit mu-
tatio. Partes enim ad nutritionem aptæ hactenus in-
cremento atque extensioni solidarum adhibitæ, nunc
ad iisdem majorem soliditatem inducendam, itemque
barbam, pubem pilosque procreandos, ad humores per
insensibilem tra- rationem magis depurandos neces-
sariæ; & ad elaborationem semenis in nobiliori, & su-
perflui sanguinis, in sequiori sexu facientes; nunc aliorum
diriguntur, circulationisque leges certo modo im-
mutantur. Concedo quidem, quod §. 5. allegatus
morbus omissus non omnes pari sensibilitate affligat,
sed,

sed, prouti in multis observare licuit, nullum Medicorum auxilium implorare necesse habuerunt homines de reliquo fani; teneriori vero corporis habitu & in junioribus annis valetudinarii, adde alias munditiem corporis aversantes, hincque liberam transpirationem impedientes habui hoc morbo curandos, ubi temperantia interna, ut & infusa herbarum theiformia loco potus ordinarii hausta, externe autem sacculi paregorici plantis nervinis repleti & Spiritu salis ammoniaci, cochleariae, serpilli citrati, irrorati, calide impositi omnem absolvebant paginam; praeter unam, quam memini, miseram, cui iniquo deceptae consilio, planeque adverso usæ remedio, unguento ægyptiaco superlito, tam tetra in mamma nascebatur suppuratio, ut papillæ ipsius destructio metuenda, ni inflammatione restincta & procurata consolidatione ne malum serperet latius, omnibus viribus restituisse, quem morbum peculiari enarrari dissertatione operam duco haud contemnendam.

§. XXV.

Virgines adultiores, menstruamque secretionem aliquoties expertæ, non raro vitia diætæ committentes aut antea valetudinariæ periculum incurruunt, mammarum tumore, dolore, imo etiam inflammatione affligi; frequentissime a Practicis observatur, virgines nonnullas instantे mensium fluxu, aliquot dies ante eruptionem eorum, dolore mammarum tensivo, talique tumore vexari, ut arctiorem thoracum constrictiōnem preferre nequeant. Nihil quoque insoliti est, obstrutis in virgine mensibus humorem laeti analogum

vel mucum lactis similitudine mammae earundem distendere, ut suspicionem de virginitate læsa apud imperitos incurant. Medicis vero exercitatis HIPPOCRATIS Sect. V. Aphor. 39. ante oculos habentibus, & reliqua signa suppressionem mensium & cachexiam virgineam concomitari assueta perpendentibus, observationesque practicas in memoriam revocantibus, v.g. mensium ex mamma in puella fluentium Dec. II. A. V. App. pag. 41. obs. 70. fundamentum & causa morbi-
fica non tantum facile detegitur, sed etiam adhibitis
remediis idoneis & præsentibus actioni primarum via-
rum prospicientibus, sanguinis cruditatem corrigenti-
bus, visciditatem incidentibus, obstruta uteri vasa re-
ferantibus, & denique emmenagogis decenti sub cau-
tela practica exhibitis, mensium ordinarius restituitur
fluxus, sponteque tunc tumor, reliquaque mamma-
rum naturalem mollitiem atque magnitudinem tur-
bantia evanescunt. Quibusdam virginibus prima vi-
ce mensium fluxum experturis, accidit tumor mam-
marum durus, aliis symptomatibus conjunctus; his
RIVERIVS medetur sectione venæ in brachio, præter-
lapsisque quatuor septimanis, reiterata in pede institu-
ta, sanguinisque intemperie debitibus correcta medica-
mentis, GALENVIS spongiam ex aceto madentem su-
per imponi jubet, ut mammæ parvæ maneant natura-
lemque duritiem retineant. De reliquo superfluum ju-
dico allegare autores CARDANVM, VESALIVM, Joach.
CAMERARIVM, A. LAVRENTIVM, aliosque a Celeb.
FRANCO citatos, observationibus innixos affirmantes:
salva virginum integritate in earum mammis quando-
que

que lac reperiri. Mammas a virginitate Cicutâ illitas semper staturas, Auctor est ANAXILAVS teste PLINIO lib. 25. c. 15. Ego tamen ad sororiantes puellarum mammas coercendas adhibere, minime suasor essem, cum enim ejus usus internus venenosus, externum cum *Anonymo in Dod. authore infidum* pronuntio, etiam si *Guil. VARIGNAN. Secret. Med. J. C. BARICELL. Hort. Gen. Georg a TYRRE Hist. Plant.* hunc in finem commendant.

§. XXVI.

Accedentibus autem proprius ad *maritatas*, perpendendum nobis est, discussionem lactis easdem a Medicis poscere variis sub circumstantiis aut commoditate inductas, aut falsa persuasione deceptas, aut necessitate coactas. Quædam post partum infantem propriis mammis alere recusant, hinc ejus discussionem a Medico avide sollicitant. Aliæ, septimo ut plurimum post partum die, nimio lactis ad mammas influxu perterritæ, nihil magis discussione exoptant. Aliis defectus papillarum, impedimento est infanti ubera porrigeret, hinc lac copiose mammas intrans discutiendum venit. Alias morbos corporis constitutio, scorbutica nempe aut cacheœtica invitas cogit infantem conductæ mercede nutrici tradere, ideoque, ne ad mammas consuetus major fiat affluxus in tempore prospiciendum est. Propter perversos mores aliis assuetos, scortationem, stoliditatem aut ad furtum inclinationem, mariti infantum amore capti, materno laetiæ pusiones nutriti non permittunt, ne ipsis cum laetiæ vitia simul communificantur, ideoque lactis discussio in principio statim quoque

que necesse est. Tandem in omnibus infantem ablare volentibus lactis discussio requiritur.

§. XXVII.

Sapientissimi creatoris ordinatione contingit omnibus mulieribus, ut sanguis superfluus, qui ipsas ad conceptionem reddebat idoneas, & ingavitationis tempore ad foetum nutriendum impendebatur, post eundem in lucem editum ad mammas transferatur, ut ibidem novi nutrimenti lactis elaboratio fiat; graviter itaque ejusmodi mulieres erga se ipsas, graviter quoque erga proprios infantes peccant, quae commoda vitae ratione captæ proprium lac infantι exhibere renunt.

§. XXVIII.

Neminem nisi fundamentorum physiologicorum plane ignarum latet, foetum in utero latitantem, corpore minore gaudentem, viscera atque vasa sanguifera minora habere corpusculo suo accommodata, humeribusque pariter indigere tenuitate atque fluiditate proportionatis diametro vasorum eorundem circulationi destinatorum, eum in finem placentam uteri sanguinem maternum ulteriori comminutione aptum reddere, ut partes subtiliores redditæ per funiculum umbilicalem in corpusculum foetus transferri possint, crassiores autem subtile corpusculum foetus permeare, atque, cum nutritioni minus conducant, matri iterum tradantur. Magnam itaque copiam partium fluidarum crassiorum mater a foetu ejectarum sibi colligit, quas deinde foetus majori corpore instruetus ex mammis sub specie lactis repetit, matremque a morbis instantibus liberat,

liberat, ad quos ipsam in utero, nobilissimam, subtilissimamque sanguinis partem absumendo, disponebat. Quaecunque igitur infantem lactare renuit in se ipsam sit injuriosa, dum crassiores sanguinis partes tempore gestationis collectas multifariis morbosis symptomatis sensim consumere tenetur.

§. XXIX.

Non solum autem sibi ipsis nocent, sed etiam gnatum laedunt: nullum lac pusionis ætati magis convenient quam propriæ matris; nullum lac temperamento infantis magis congruum, quam quod secernitur ab eodem sanguine, quo in utero fuit nutritus; & si mores cum lacte infantibus communicantur, quam sententiam Ill. *Frid. HOFFMANNVS* quoque demonstravit, mater honesta multis virtutibus ornata, suum infantem nutrici tradit, quæ ut plurimum sunt scelestissimæ, scelerum rudimenti atque seminii in gnatos translati causa moralis evadit. Accedit, quod infantes plurimum ardentius ament nutrices, & mutuus observetur inter lactantem & lactatum affectus amoris, nunquam mater talem erga se amoris ut gradum percipiat in infante a nutrice lactato, & amor vice versa maternus erit remissior.

§. XXX.

Lubrico nititur fundamento opinio, falsisque superstructa est argumentatio præmissis, quod puerperæ alienis nutricibus lactationis onus tradentes brevissimo temporis spatio amissas inter gestandum vires recuperent, & præterea longe formosiores evaderent atque manerent, quam si ipsæ lactationis negotium susciperent. Experientia meum confirmat assertum:

duas novi sorores eadem corporis formositate & vigore; natu major quinque infantum mater, omnes postquam proprio lacte nutravit, elegantiori habitu, corporeque sano gaudet; altera majorem pulchritudinem affectans, quatuor enixa infantes, quos lactandos ideo renuebat, ut nitor faciei, elegantiaque integra servaretur; sed proh! misere decepta & venustatem & pulcritudinem & firmam corporis affectionem perdidit, ægretque, morbis junctim eam vexantibus. Rationem §.

28. adlatam huc quadrare existimo, dum enim sanitas eo perfectior est, quo magis sanguis depuratus existit; sanguis autem eo exactius depuratur, quo plus secretiones & excretiones vigent, & in statu naturali procedunt; notabilem vero, si non præcipuam atque primariam excretionem in sexus sequioris mediæ ætatis hominibus constituat menstrua ejusque vicaria, lactatio; & quo perfectior sanitas, eo excellentior quoque corporis facies externa. Sequitur, ut matres infantes propriis mammis nutrientes eo ipso formosiores reddantur. Ergo in hoc casu lactis discussio argumentis a ratione & experientia desumptis potius dissuadenda.

§. XXXI.

Falso quoque præoccupatæ timore lactis discussiōnem postulant puerperæ ut plurimum *primiparæ*, quando nonnullis, tribus cum dimidio, aliis septem post editum fœtum diebus præterlapsis, mammæ nimio sanguinis affluxu in tumorem durum cum dolore tensivo assurgunt, conjuncta horripilatiōne febrili; motibus enim naturæ probe observatis, & legitimis regulis diæteticis huc facientibus non neglectis, lochiorumque

que fluxu debite sustentato atque promoto, nulla amplius discussione opus est, si modo infanti adultiori mammæ frequentius evacuandæ præbeantur; aut si hoc non sufficiat, & simul lochia retineantur, vena in pede aperta, superfluum sanguinem evacuare possumus, consilio FORESTI Lib. XVIII. Obs. XIX.

§. XXXII.

Aliud plane est, si *defectus papillarum* puerperas ad nutricis vices subeundas inhabiles reddit, quod dupli modo contingere videmus; aut papillæ in mammarum cute delitescunt, aut plenarie desunt. Prius in multis occurrit arctioribus fibulatoriis, sive capitiis, multis balænæ baculis firmatis, a tenerima juventute constrictis, utentibus, quæ prominere papillas prohibent, easque ita comprimunt, ut eandem superficiem complanatam cum mammis acquirant. Hæ, si ultimis gestationis mensibus nuce moschata ad modum pileoli digitorum excavata papillam tegunt, aut annulum ex radice rhodia tornatum eidem induunt, compressionemque ulteriore evitant, sensim ac pededen-
tim elicitur, ut post partum absolutum fœtus mammæ appositus papillam magis ac magis, dum emitten-
do commode laeti disponatur, educere possit. Poste-
rius si forte evenerit, ut per abscessum in puella aut circa pubertatis annos tota prorsus interierit papilla, evitari nequit, quin eo, quem infra apponam, modo lac quam primum discutiatur.

§. XXXIII.

Matrimonium inituro *morbosa* mulieris *consti-
tutio* non in oculos incurrit, ideoque accidit, ut aliquis

adipiscatur uxorem sanitatis labefactatæ causas occultantem. Primarium finem conjugii esse procreationem sōbolis & ratio docet, & natura eo homines impellit, ut unusquisque omnia laborum incommoda lætus suscipiat, si modo fructus laborum & pecunias acquisitas in infantes, legitimos hæredes transferre possit. Nunc mater cacochymica & scorbutica quidem concipit, feliciter gestat, & in utero foetum alit, atque legitimo tempore in lucem edit, sed si ipsum nutrit, semina morbosa embryoni in utero communicata magis excitantur, corpusculoque ab aere inspirato magis magisque alterato infantis, excitantur tormina, superveniunt non raro insultus epileptici & non leves ægritudines, & præmatura mors acceleratur, uti ET MÜLLERVS praxi edoctus testatur. Consultius itaque infans servandus nutrici conductæ committitur, ut salubriter laete opprimantur morbosa fermenta; matris vero lac mammae intrans discutitur, & tempore puerperii infusis balsamicis, commodisque medicamentis dyscrasia sanguinis corrigitur, ut probe observatis regulis diæticis materia peccans præparata sub fluxu lochiorum e corpore evacuetur, ideoque & matris & infantis sanitati prospiciatur atque consulatur.

§. XXXIV.

Pater, qui curam gerit pro infantum corpore, non minus solitus est, ut *moribus* imbuantur eosdem ornantibus. Quot vero sexus sequioris a prima juventute furto, scortatione, pertimescendisque inquinatæ flagitiis, in eadem se viris nuptæ ingurgitant, honestatis etsi præ se ferant speciem? Ne vero infantes pari

pari labe inficiantur, aut rudimenta malorum in ute-
ro posita per lac maternum gravius exacerbantur, mo-
ratori committendus infans nutrici, ut ejus lacte vitia
jam contracta extirpentur, corrigantur, matri vero lac
removendum.

§. XXXV.

Diverso tempore, variisque sub circumstantiis mulieres discussionem desiderant, nunc infantem ablare volentes; nunc sub ipso lactationis negotio, &, vel ob abundantiam mammas distendentem, vel ob coagulum in iisdem factum; nunc primis post factam ingavitationem diebus. Multis maritatis accidit, ut statim post factam imprægnationem infimus venter pariter ac mammæ dolore tensivo in figuram globosam attollantur, qui tamen tumor primo mense præterlapsò detumescit. Desiderarunt quædam a me, ut remediis huic in tempore succurratur tumori; quum autem experientia ipsa edocetus essem, effectum esse immutatæ, ex ingavitatione facta, œconomiæ animalis; facile illis persuadebam, nihil inde metuendum periculi; æquiori animo dolorem perferebant, cum, quod prædixeram, repente factus tumor post quatuor septimanas decrescebat ac desinebat, qui vigesima quidem septimana iterum auctus, inter factæ imprægnationis signa numerari potest.

§. XXXVI.

Primiparæ lactantes fere omnes de abundantia la-
ctis conqueruntur, sicuti autem hoc signum est integræ sanitatis, ita tantum admonendæ sunt, regulas diæte-
ticas exacte observare, utpote quæ ipsis præcipiunt, ae-

rem frigidorem evitare, maximopere autem mammas ab eodem defendere; in puerperio nulla polytrophia assumere, vi^tu potius tenui esse contentas; non nimirum otio, quieti & somno indulgere, sed durante lactationis tempore assueto labore corpus exercere; noctu octo horas reficienti somno consumere; ad ordinarias se- & excretiones respicere, &, quod præcipuum est, de die infanti toties nutritione turgidas mammas exhibere, quoties evigilat, noctu autem ter tantum suggendas offerre, & quidem determinato tempore v. g. vesperi hora decima, hora prima nocturna & hora quinta matutina; hoc ordine observato abundantia lactis semper moderabitur, &, quando infans ex una mamma nutrimentum haurit, semper ex altera æqualis quantitas superflui extillabit.

§. XXXVII.

Id vero solicite quoque attendendum, ut alternatim nunc dextra nunc sinistra fusioni porrigatur mamma. Si enim aliquoties ejusdem lateris mamma infanti præbetur, quo brachio mater infantem commodius apprehendit, huic infans brevi tempore assuescit, alteramque sugere ulterius renuit, simul etiam fluida lactis pars plus vexatam intrat, dum in altera quiescente quædam pars residua stagnat, coagulatur & glandulam mammariam infarctam atque induratam reddit, ad quam tunc discutiendam ut plurimum frictio molliori spelle mustelæ, quam albam optant, sufficit; cum excutia enim discussionem instituendam dissuadeo, quia vidi in excessu peccantes majorem induxisse tumorem, dolorem, imo inflammationem; & quod huic curationi acceptam hære-

hæreditate exutiam paratissimum jacent remedium, superstitionem redolet, quo saniores uti verebuntur, simplicioribus ut impium interdicendum. Amuleti loco mercurius vivus in nuce avellana cariosa vel calamo scriptorio e collo suspensus intra mammas gestatus resolutionem atque discussionem stagnantis in mamma lactis promovet, ita ut & in hoc casu axioma Ill. Wedelii veritati superstrūctum reperiatur, nihil magis fundere lympham quam mercurius.

§. XXXVIII.

Consensum partium solidarum & fluidarum inter corpus matris & infantis, (aut si placet sympathiam nominare,) nemo nisi praxi medica minus exercitatus negabit. Quid in corpore embryonis producit nævos respondentes imaginationi gravidæ matris? Consensus partium. Quid in mammis lactantis matris excitat dolorem pectorium titillantem, quando infans sitiens ejulat remoto loco degens? Consensus inter matrem & genitum. Quid pallorem faciei & labiorum, corporis frigus, aliaque in infantis producit corpusculo spatio horæ quadrantis ante, quam mater febre intermittente laborans paroxysmum experitur? Consensus intercedens matris & lactantis corpus. Hæc aliaque pensitans non mirabitur, lac evanescere, si mors lactantis instat; hinc utplurimum signum morituri infantis desumunt, cuius vitæ periculum huc usque non apparuit. Quæ non ita dicta velim accipiantur, quæ in omnibus se exferant lactantibus, quum variæ variorum causæ & frequentiores restringant experientias. Inveniuntur quoque matres, quarum infantibus præmatura

tura morte privataram lac copiosius ad mammae fluens discussionem postulat, quod vero legitimo modo, necessariis cautelis practicis observatis, expertoque Medico in consilium vocato, instituendum. Perversa enim tractatione, & remediis domesticis, ex vetularum plerumque suasu applicatis, saepe oriuntur anxietas praecordiorum, pectoris & mammarum dolores, tensiones atque nodi, quibus nisi tempestiva resolutione ac discussione præveniatur, inflammatione concepta suppuration sequitur; aut in corpore cachymico scirrhus & deplorabilis cancer vitam maximis sub cruciatibus degere quinimo finire causa existit.

§. XXXIX.

Quando igitur aut infans mortuus, aut annum egressus ablactandus, lac ut removeatur, omnino opus est. Providus & cautus de eo consultus ad duo maxime respicit momenta Medicus I. lac in mammis contentum discutiatur & resolvatur II. ulterior lactis secretio impediatur. Nunc Medicus triplici ratione omnibus ejus operi implorantibus succurrit: Consilio diætetico, Remedio pharmaceutico, & Auxilio Chirurgico.

§. XL.

Prius obtinebit, ac ex voto perficiet, si infante mortuo, ab alio infante; aut adhuc vivente ablactante, lac in mammis concretum omne exfugitur; quodsi vero nec hac ratione excussum fuerit, emollientibus & discutientibus externe utatur; interne autem exhibitis sudoriferis, majori quantitati in peripheria corporis exitus concilietur, ut sanguis ad mammae delatus per venas

venas redire queat, & in vasis depletis locum inventiat.

§. XLI.

Consilia diætetica suadent, a cibo & potu per aliquot dies abstinere, infusoque theiformi ex radice bardanæ glycirrhizæ, herba betonicæ, scolopendrii, oreoselini, floribus chamomillæ, borraginis, tunicæ, ligno sassafras & similibus composito contentam esse, corpus modice movere, prout conditio personæ ablactantis permittit, somno non nimis indulgere, animique pæthema vehementioria fugere.

§. XLII.

Varia ex triplici regno desumpta externe mammis applicantur: Herba petroselini viridis sub ferro candefacto, quo linteamina lævigantur, calefacta apponitur, quæ si adsiccescat, denuo recens parata imponatur. Item herba recens cum cumino contusa ad instar cataplasmatis mammis applicata præstat G. H. VELSCH. Obs. Med. Episagm. 32. discutit simul glandulas mammarum lacte turgidas induratas. BEHRENS Selecta Diætet. Arn. WEICKARD. Thes. Pharm. Rod. a CASTRO de Morb. Mul. Herbam Alsine viridem mulierculæ ad lac in mammis discutiendum sub axillis gerunt, talis vero repulsio a frigore herbæ maxime proveniens saeppe nociva evadit; tutius proceditur, si recens herba, uti de petroselino dictum, calefacta mammis imponitur. conf. WEICKARD. l. c. aut si cum aqua decocta cataplasmatis forma mammis super imponitur TABERNÆMONTANVS in Arzeneh-Buch. CRATO L. V. Conf. 40. Pariter Cataplasma ex herbis siccis menthæ & Rutæ p.

D

æ. tan-

æ. tantillo seminis carvi, in aceto cerevisiae coctis, mammis calide applicatum, lac coagulatum nonsolum resolvit, sed novam quoque lactis generationem prohibet. Herbam cicutæ aqua & aceto coctam, fotu mammis applicatam *Rosinus LENTILIVS Misc. Med. Pract.* laudat ad lac discutiendum, ut præcaveantur inflammations, schirrhi, cancri, tumores & tubercula. Ab adstringentibus vero, repellentibus, constipantibus & refrigerantibus abstinentur esse judico, quam diu alia remedia prostant. Lac in mammis induratis stagnans nostræ discutunt mulierculæ inunctione butyri insulsi; nunc vero lac habet aliquam partem, quæ post secessionem butyrosæ pinguitudinis spissescit. Hæc videtur esse lympha, quæ, quamdiu interpositæ particulæ oleosæ a contactu suarum particularum prohibentur, non cohærescit, *celeb. SCHVLZIO* erudite hoc docente; pingues itaque partes lacti deficientes, per inunctionem mammarum restitutæ, lactis regressum ad massam sanguineam facilitant.

§. XLIII.

Sunt, qui sacculis paregoricis impositis optatum semper impetrant auxilium: recipiunt herbam salviæ & origani sicciam, sale communi & aliquot granis camphoræ additis, sacculo includunt, quem interpassatum calide applicant. Ubi autem præcipuus scopus simul emollitio existit, floribus meliloti, verbasci, sambuci, chamomillæ, semine lini, fœnugræci, carvi, contusis, addita camphora, sacculum replent, eoque calide mammis imposito utuntur. *DOLÆVS Opp. Append. Epist. V.* cinnabarim nativam cum aqua florum sambuci mixtam,

tam, vel cum cera in emplastrum redactam commendat. Emplastrum ex cera, cinnabari & oleo lini paratum WALDSCHMIDIVS expertus deprædicat *Ephem. N. C. D. H. A. VI. Obs. 155.* Emplastrum, quod *Illustris WEDELIVS Comp. Prax. Clin.* ex diachyl. simpl. unc. i. sperm. cet. dr. iiiij. camph. g. iv. croc. g. iiiij. compositum, imponi præcipit, haud contemnendum in removendo feret lacte auxilium.

§. XLIV.

Interne pulveres salini medii, absorbentes, temperantes, essentia alexipharmacæ Stahlii, serpentaria virginiana, myrrhæ balsamica, succini, castorei, asæ foetidæ M. S. rectificata, Tinctura bezoardica egregium edunt effectum; si modo medicus ad symptomata, subiectum, aliasque circumstantias respiciat, quale medicamentum, quando, in qua dosi, & quamdiu sit adhibendum. Videbis enim maxime differre casus, ut librum integrum conscribere necesse habeat, omnibus qui prospicere, singulaque evolvere velit.

§. XLV.

Lacte novo si post suctionem ultimam mammæ adimplentur, necesse est, ut evacuetur, potest hoc præstare mulier suetui assueta, aut ipsa ablactans instrumento vitro fuccarola dicto, aut quod mihi magis arridet cucurbitula lignea majori. Recipere debent cantharum ex recenti ligno paratum, aquæ deportandæ alias destinatum, tali apertura præditum, ut mammam turgentem exakte capere possit. In hunc fundunt aquam, radicibus liliorum alborum, herba malvæ, mercurialis &c. decoctam, circumagunt ferventem in cantha-

cantharo aquam, iterumque effundunt, statimque cantharo mammam recipiunt, sic ad instar cucurbitæ mammæ adhærebit; calorque & vapor herbarum emollientium efficiet, ut lac stagnans resolvatur atque educatur, quod tam diu reiteratum, alternis mammis cucurbitam hanc ligneam applicando, donec naturalis mammæ mollities restituta sit. Fascia tunc supra mammas emplastro testas circumducta novam lactis generationem impediet. Ubi necessitas & plethora præsens urget, sanguis quoque imminuendus est venæctione. Quando humores quantitate & qualitate peccantes primas vias molestant, clysteris injectione non modo evacuantur, sed etiam humores ad mammas transeuntes repelluntur.

§. XLVI.

Posterius quod §. XXXIX. indicavimus tutius perficietur remediis internis, humores imminuentibus, aliorumque ducentibus, laxantibus, diaphoreticis, diureticis, quorum præparationem judicio & experientiæ Medici relinquimus. Externe mammæ & thorax fascia & arctioribus vestibus constringantur, ubi etiam Emplastri ad dorsum applicatio a WEDELIO præscripti non negligenda.

